

suos nobilem, tribus continuis mensibus propter ipsius eximiam in Deum pietatem cibo, potuque abstinuisse. Quod si forte incredibile ac supra quam natura humana pati ac perferre posset, mihi videretur, ut rem ipsam, quam procul dubio certissimam essem inventurus experiri possem. Ideo illum ipsum illis virum cum suis litteris ad me mittere. Ego qui tanti viri fidem et integritatem iam diu notam, ac perspectam habebam, nephas suspicari ducebam illum in re quae manifesta experimento futura esset mentiri. Attamen cum res ipsa incredibilis mihi videretur statui veritatem ipsam, ut ille me admonebat, quantum humano ingenio fieri poterat perscrutari. Itaque Scotum ipsum per interpretem, est enim nostrae ac Latinae linguae penitus ignarus, interrogavi, an verum esset quod tamdiu absque cibo, potuque permansisset, et cum id verissimum esse asseveraret, quesivi ab eo an pietatis, ac nostra causa, ut rem tam inauditam videremus per aliquot dies cibo, potuque abstinere vellet, quod se facturum, Deo dante, est pollicitus. Ego huiusce rei explorandae cupidissimus, ipsum omnibus suis indumentis exutum, ne quid in eis, per quod spiritus recreare, et vires refocillare, meque fallere posset, quod alias factum audieram, esset absconditum, aliisque vestibus a me sibi traditis indutum, undecim continuos dies, noctesque domi meae in cubiculo diligentissime clauso, et obsignato continui, ac ne quid cibi, potusve causa inferri posset, accuratissime cavi et observavi, quin etiam ipsius cubiculi claves penes me semper habui, nec eas cuiquam etiam mihi intimo credidi, ut omni fraudis suspitione remota, experirer, an sine cibo ac potu tamdiu aliquis vivere ac superesse posset. Et tum peractis dictis undecim diebus, ipse Johannes constantissime tantam tollerasset inedia ac semper eundem colorem, vigorem ac pulsum, quod doctissimis phisicis, qui ad eum visendum saepissime conveniebant, maxime mirum videbatur servasset, et iam dies quibus sine cibo ac potu homo vivere ac superesse posset, esset praetergressus ipsum nihil tale postulantem aut expectantem cubiculo emisi, ac ei abundi facultatem feci, qui toto eo tempore, quo a me arctissima custodia observatus est assiduus ad Deum, divosque praeterquam cum loqueretur aut dormiret, fundebat preces. Cuius rei, Deum ipsum optimum maximum, cuius numen fallere non est, testem facio, et si mentior non recuso, qui mihi perpetuo iratus sit. Valete optimi lectores et cum ex tam impudenti mendacio, si mentirer, nullum emolumentum ad

me venturum sit, rem ipsam, prout est, verissimam, certissimamque credite.

Romae, kalendis Septembris. MDXXXII.

*Ita est, Vianesius Albergatus
Bononiensis. Manu propria.*

*Epistola Vaivodae ad Statum Romani
Imperii.* 405

Reverendissimis et Reverendis, illustrissimis, illustribus, spectabilibus magnificis, generosis et eximiis Dominis Electoribus, Principibus et Statibus utriusque ordinis Sacri Romani Imperii amicis nostris clarissimis.

Johannes Dei gratia rex Ungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Marchio Moraviae ac Lusaciae et utriusque Silesiae, dux etc. Reverendissimis et reverendis, illustrissimis ac illustribus, spectabilibus, magnificis generosis et eximiis dominis Electoribus et aliis Principibus et Statibus utriusque ordinis Sacri Romani Imperii amicis nostris charissimis salutem et prosperos ad vota successus.

Reverendissimi et reverendi, illustrissimi ac illustres, spectabilesque, magnifici, generosi et eximii domini amici nostri charissimi. Etsi persaepe non solum litteris sed etiam nunciis et oratoribus nostris ad privatas personas ex vestris reverendissimis, illustrissimis ac magnificis etc. dominationibus missis abunde declaravimus meram veritatem negotii nostri, quod cum Rege Ferdinando habuimus et habemus, imo pro hoc declarando et vestris dominationibus manifestando, non multo post coronam Regni Dei benignitate per nos susceptam delegeramus in publico Regni nostri conventu, et miseramus primarios oratores nostros ad vestras dominationes, quorum alter nunc prima huius Regni dignitate fungitur, et nunc Budae in sede nostra Regia vices nostras sustinet. Qui iter suum continuare per praefatum nostrum adversarium non fuerunt permissi. Tamen nunc etiam rursus volumus his litteris vestras reverendissimas, illustrissimas ac magnificas dominationes de his facere certiores non tam adversarii nostri calumniandi, quod ipse de nobis assidue facere solet, quam veritatis aperiundae gratia. Idque vestris potissimum dominationibus, quibus sicut ab initio desideravimus ita nunc quoque vehementissime exoptamus habere, bonam, firmam et fraternam amicitiam ac intelligentiam in bonum totius reipublicae cristianae. Res igitur breviter et vere in hunc modum se ha-